

DEFINIT. VI.

Summa altitudo est linea juxta quam pendulum summè elevatum situm habet horizontalem, ut AP.

CAP. II.

Propositiones de Pendulo
enodans.

Propos. 1.

P*enduli vibrationes inter se sunt æquidiv-
turnæ seu ἰσημεριναί, simplices simplicibus,
compositæ compositis.*

Prolixus essem, si quæ Ricciolus hâc de re pro in-
defessâ diligentia & dexteritate suâ sæpiùs instituit expe-
rimenta perquam proluxa lib 2. Almag. p. 85. nobis com-
municata, recensere vellem; Provoco statim ad sen-
sum, quem quisque levi negotio huic operæ potest ap-
plicare.

Certum enim est ad sensum æquidivturnas esse
penduli reciprocationes, eò quòd sensus nullam tempo-
ris differentiam discernere possit inter oscillationes Pen-
duli, quotquot ab uno tantum impulsu continuâ serie
celebrantur; Exiguum enim est totum id tempus, quo
ab impetu primo reciprocis recursibus ad quietem us-
que fertur: & adhuc magis exigua sunt momenta, qui-
bus singulæ vibrationes durant. Quod si novum impe-
tum imprimas, prono jam ad eundem accessu vel recessu
quem exspectas, non immeritò redit eadem vicissitudo,
causis omnibus ut antea constitutis.

Qua-